

## Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus X. De Natis ex libero ventre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](#)

tiente, non eximuntur à potestate domini & servi-  
tiis ei debitis. Nav. l. c. Côn. num. 35. Castrop.  
l. c. num. 5: juxta quod exp̄s̄ dicitur c. 1. b. t.  
ubi: *debita tamen & consuetuta servititia non minùs*  
*quam ante debent propriis dominis exhibere.* Si-  
quidem ex matrimonio servus se obligare non po-  
tuit ad ejus usum, nisi quatenus eo uti potest abs-  
que pr̄judicio domini; quanvis tamen non ita oc-  
cupandi sunt servi conjugati à domino, ut non pos-  
sint convenienter tempore matrimonio vacare red-  
dendo debitum &c, quia cùm à natura & per Ca-  
nones habeant jus ad matrimonium, habent etiam  
jus ad ejus usum, ne aliás matrimonium sit omnino  
frustraneum. Ac proinde, seclusa gravi utilitate  
seu necessitate domini, nequire illum diu impedire  
servum, ne accedat ad uxorem, esse enim id saltem  
contra caritatem, imò contra justitiam, vi cuius  
tenetur permittere moderatum usum matrimonii,  
tradit Castrop. num. 5. in fine. His non obstante,  
quid permatrimonium jus domini in servum aliquo modo diminuat; quod mirum non est, cùm  
matrimonium ejusque usus jure naturali concessionem  
fervo, & servitus non nisi iure gentium introdu-  
cta. Atqui ex his jam infertur, posse dominum  
servum suum conjugatum causa negotiis alicuius

gravis mittere in partes longinas. Si enim po-  
test homo liber lucri captandi causā diu ab uxore  
abesse, tametsi ejus continentia periclitetur, poterit  
idem servus ob utilitatem domini sui, cuius est Ca-  
strop. l. c. non tamen posse eum vendi in partes re-  
motas, quò eum commodè sequi nequit uxor, &  
peccati per hoc tantum contra caritatem, vi cuius  
obligatur quis vitare, dum commodè potest proximi  
damnum, quale damnum grave patitur servus  
conjugatus in ea venditione, dum usu matrimonii  
perpetuò privatur, censet Côn. d. 31. du. 2. n. 37.  
peccari etiam per hoc à domino contra justitiam,  
tenant Sanch. L. 7. d. 22. à n. 8. Pone. l. c. n. 5.  
Castrop. l. c. n. 7. cum Gl. in c. 1. b. t. v. servita.  
Sed neque unquam posse virum renuente uxore se  
ipsum vendere in servum, habet Castrop. n. 8. ci-  
tans Gutt. c. 91. à n. 18. eò quòd, et si vir sit caput  
mulieris, & gubernator domus, non habeat tamen  
potestatē sui corporis, sed mulier, aedōque se tra-  
dere non possit alteti, ita ut potestatē hanc mu-  
lieris diminuat; his non obstante textu c. perlatum  
est. 29. q. 2. quia ibi talis venditio facta soluto ma-  
trimonio per divortium, ut ex Pone. L. 7.  
c. 44. in fine. Castrop.

## TITULUS X.

### De natis ex libero ventre.

*Ques. 201. Cuius parentis conditionem  
quò ad servitudinem & honores se-  
quantur liberi.*

1. Esp. Ad primum: Quò ad statum li-  
bertatis & servitutis filii sequuntur  
conditionem, non patris, seu matris,  
quantum est de jure communis; ita ut  
si mater sit libera, liberi sint filii, et si pater sit ser-  
vus; si mater sit serva, servi sint liberi, et si pater sit  
liber. L. pactum. c. de rei vind. §. penult. Inſt. de ju-  
re person. c. fin. b. t. Quòd vero partus sequatur  
potius ventrem, qui certus est. L. 5. §. 2. & 3. ff. de  
statu homin. Ratio redditur à D. Thom. communi-  
ter recepto in 4. d. 39. q. unic. a. 4. in corp. quòd  
servitus sit qualitas potius corpus quam animam af-  
ficiens; corpus autem potius à matre quam patre  
procedat, utpote in cuius utero formatur, augmen-  
tatur, & coalescit. Procedit hoc ipsum etiam, ut si  
quis filium habeat ex ancilla sua, is sit servus illius,  
nempe proprii patris, Sanch. L. 7. d. 24. num. 6.  
Gutt. c. 93. n. 6. Castrop. tr. 28. d. 4. p. 4. n. 2. Arg.  
L. 2. si mancip. ita fuer. alienata. juncta Gl. v. fi-  
lium. Item procedit, sive proles nata sit ex legiti-  
mo matrimonio, sive non; quia iura in hoc nullum  
discrimen faciunt. Sanch. n. 8. Gutt. n. 7. Castrop.  
n. 2. & exp̄s̄ constat ex L. & servorum. ff. de statu  
hom. vers. ingenii sunt, ibi: nihil refert, an ex justis  
nuptiis, an vulgo conceperis sit: vulgo autem con-  
ceptus dicitur, qui est spurius. L. vulgo ff. eod. jun-  
cta Gl. v. non licet. Dixi tamen: *jure communis:*  
quia, cùm servitus sit juris humani, consuetudine  
alicubi induci potuit contrarium. Sanch. n. 9. Gutt.  
n. 8. Castrop. n. 1. Molin. tr. 2. d. 33. in fine,  
juxta c. licet. h. t.

2. Porro ut proles inducat conditionem mater-  
næ servitudinis, requiritur, ut mater & tempore con-  
ceptionis, & pr̄gnationis, & partus fuerit serva, ita  
ut, si uno ex his, etiam brevissimo tempore, fuerit

libera, v. g. pr̄gnationis, et si aliás tempore conce-  
ptionis fuerit, aut dein tempore partus sit serva,  
proles nata sit libera, quantum est vi naturalium.  
Sanch. n. 10. Molin. l. c. Castrop. n. 3. pro ut con-  
stat ex §. sed & Inst. de ingen. & manumiss. Dixi:  
quantum est vi naturalium: siquidem iis non obstan-  
tibus, in quibusdam casibus aliter statutum est in  
jure, nimirum primò, dum ex privata ancilla (licet  
libera) servus publicis operibus deputatus suscipit  
prolem, ea unà cum matre evadit serva, juxta L. fin. c.  
de servis fugit. lege ita puniente hoc delictum par-  
rent. Sanch. n. 12. Secundò, si pater libertus  
seu manumissus post & propter commissam ingra-  
titudinem revocatur in servitutem (vii fieri posse,  
constat ex c. liberti. can. 12. q. 2. & Abb. ibi in fine.)  
liberi deinceps ei nati sint servi, sequanturque con-  
ditionem patris, et si nati ex matre libera, vel liberta.  
L. 2. c. de libert. & eorum liber. Tertiò casu quo  
mater gerens uterum justo bello capta & in servi-  
tutem redacta parit, proles sit quoque serva, eò quòd  
occasione justi belli beneficium à parentibus acce-  
perit, ne unà cum matre interimeretur.

3. Resp. Ad secundum: Filii quòd ad familiam,  
nobilitatem & dignitatem sequuntur conditionem  
patris, non matris. L. cùm legitime. ff. de statu hom.  
& ibi Gl. siquidem cùm proles esse recipiat à patre  
tanquam à causa principaliori & nobiliori princi-  
pio sua substantia, meritò quòd ad ea, quae ad esse &  
familiam pertinent, & quae ei annexa sunt, sequitur  
patrem. Pith. ad tit. de natis ex lib. vent. num. 2.  
Sanch. l. c. n. 1. procederéque id ipsum, et si filii  
sint naturales, & non spurii, habet Castrop. num. 4.  
Verum id potius videtur esse ex legibus specialibus  
regni Hispaniae, quam de jure communis.

De cætero, quæ hic tractari potuissent de errore  
conditionis servilis, qualiter is dirimat matrimoniu-  
m; jam tractata sunt supra, ubi de inpedi-  
mento erroris. quæs. 125.  
& seq.

TITU-